


ORATIO,
ET POEMATA
JOSEPHI THOMÆ.

JOSEPHI THOMÆ

IN NEAPOLITANA ACADEMIA

Rhetoricæ Professoris

ORATIO, ET POEMA

DE REPARATA

CAROLI II.

SALUTE,

AC POEMA


In Funere

EXCELLENTISSIMAE

D. CATHARINAE

ARAGONIÆ,

SANDOVAL, &c.





S. Catta. Formelle di Napol.



NEAPOLI, M. DC. XCVII.

Ex Typographia Caroli Porpora, & Caroli Troyse.

Superiorum facultate.



EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. LODOVICO
LACERDA

METHYMNÆ COELIÆ DUCI, &c.

Et Regni Neapolitani Proregi, &c.



Vamquam; Excellentissime Princeps, felici nuncio allato de reparata CAROLI SECVN-

DI

DI salute; statim Orationem, & Poema composui, ut incredibilem animi mei lætitiam significarem; tamen memor Horatij in arte poetica asserentis, nihil, nisi nonum prematur in annum, nihilque, nisi perfectum sit ingenio, & elaboratum industria, in lucem esse proferendum, jacere hæc in tenebris sepulta statueram. Nunc verò perspiciens omnes ferè hujus Civitatis viros æquè eloquentia, ac

erudi-

eruditione conſpicuos tanta de re nullam facere ſcribendi intercapedinem, aſſiduisque typis maximum gaudium teſtari non deſinere, volui diuturno ſilentio, quo adhuc uſus ſum, finem imponere, atq; aliquid prælo committere, præſertim cum Rhetoricam profitear in Neapolitana Academia, quam Hiſpaniarum MONARCHA munifice ſuſtentat, & fovet, ne aut officio deeſſe, aut in ingrati animi vitium incidere

dere videar: Itaque Tibi ex animo consecro, ac dico Orationem, & Poema de nostri REGIS reparata salute unà cum Poemate, quod ipse nactus occasionem dicendi de eximijs, ac penè Divinis virtutibus Excellentissimæ D. CATHARINAE Matris Tuæ, cujus anima nuper ex corporis vinculis, tanquam è carcere, evolavit ad Cœlum, in tantæ Heroinæ funere pro mei ingenij viribus (si quid est in

me

me ingenij , quod ſentio quam ſit exiguum) paucis diebus effinxi. Tuæ profecto magnitudinis eſt hæc vel minima opuſcula non aſpernari , quæ licet luce digna non ſint , tamen à fulgentiſsimis eximij nominis Tui radijs lumen àliquod acceptura confido. Te igitur etiam, atque etiam oro, atque obſecro , ut hanc animi mei ſignificationem hilari fronte, benignoque vultu excipias. Cœterùm ſoſpitet Te Deus , & tu-

tum ab omnibus fortunæ injurijs Te servet, nullasque humanæ vitæ procellas reformides, Nestoreamque ætatem degas. Vale, ò nostrum præsidium, & decus. Datum Neapoli ij. Kal. Iul. Anno à Partu Virginis 1697.

Excellentiæ Tuæ

Humillimus, & addictissimus Servus
Joseph Thoma.

JOSEPHI THOMÆ

In Neapolitana Academia Rethoricæ Professoris

ORATIO

DE REPARATA

CAROLI SECUNDI

SALUTE.

AD EXCELLENTISSIMUM

D. LODOVICUM LACERDA

DUCEM METHYMNÆ COELIÆ,

Atque hujus Regni Dignissimum Proregem, &c.

VEllem, Excellentissime Princeps, hodierno die tanta mihi esset ubertas ingenij, tantaque dicendi copia, ut incredibilem lætitiam, quam ex CAROLI SECUNDI Hispaniarum Monarchæ reparata salute percepimus, Oratione complecti possem. At quis tam disertus, tam

facundus inveniatur, qui huic oneri non ſuccumbat, huic muneri ſatis eſſe poſſit? Si excitarentur ab Inferis Tullij, ac Demoſthenes, profectò tam immenſi gaudij, quo perfunditur animus noſter, ne minimam quidem partem verbis exprimerent. O fauſtum, ac feliciſſimum Nuncium! o dies gemmis, ne dum albo ſignanda lapillo! o fortunatum temporis punctum, quo REX AUSTRIACUS è faucibus penè mortis fuit ereptus, quo non modo hæc Civitas, ſed etiam totus terrarum orbis fuit conſervatus. Ecquis tam ſenſus expers non geſtiat? quis tam beati, ac verè aurei ſæculi ſortem noctes, atque dies non celebret? quis tantam hilaritatem vultu non præſeferat? Lætantur pueri, juvenes, ſenes, omnis ætas, civium omnis ordo, ac Deo pro tanto beneficio immortales gratias agere non deſinunt. Lætaris & ipſe maximè omnium, Princeps Excel-

len-

lentiſſime, qui de Regia ſalute per literas certior factus, cum ſummam voluptatem capere non poſſes, ſtatim magno cum plauſu tormenta bellica in arcibus explodi juſſiſti, noctis tenebras feſtis facibus fugaſti, ferias in foro, dies feſtos, ac hilares in Urbe indixiſti, atque in Templis ſolemni cum apparatu, & pijs concentibus Divino Numini ſacrificia offerri pro gratiarum actione voluiſti. Lætatur Regalis Aula: exultat Regium Palatium: numquid noſtra mœret Neapolis? Parietes ipſi prægaudio exultare videntur. Gratulatur de reparata CAROLI SECUNDI ſalute noſtra Civitas, atque in ſinu gaudens, ſexcenties gratulatur: etenim occidiſſemus, ſi noſtra ſalus, ſpes noſtra, noſter amor, vita noſtra perijſſet. Actum eſſet, ſi CAROLO SECUNDO caruiſſemus: quo nullum alium Regem priſca ſæcula meliorem tulerunt, nec quenquam

alium ſequens ætas viderit præſtantiorem. Ejus enim genus ſi ſpectes, ab antiquiſſimis quidem, & fortiſſimis Heroibus traxit originem, qui non ſolùm noſtræ memoriæ; ſed etiam omnes vetuſtatis Principes virtute, & gloria ſuperarunt. Ac ne ſingulos Atavos, Reges, Imperatoresq; enumerem (id enim longiſſimam quidem hiſtoriam, non brevem orationem: multorum annorum, non brevis temporis ſpatium requireret,) unius tantùm ex tot Auguſtiſſimis majoribus, CAROLI nimirum QUINTI memoriam recolere mihi liceat, qui plures ferè victorias, quàm vitæ dies numeravit: plures triumphos meritus eſt, quam cœteri concupierunt: plura bella feliciter geſſit, quàm alij legerunt: plures Provincias devicit, quàm cœteri peragrarunt: florentiſſimas hoſtium copias delevit: plurimas urbes direptioni dedit, atque incendijs: gentes immanitate

bar-

barbaras edomuit: multosque populos ad suam ditionem quàm celerrime redegit. Testis Africana Carthago, quæ tot annos Populum Romanum defatigavit, diripuit, à CAROLO V. brevi temporis intervallo superata, ac devicta. Testis Pannónia, quæ apud Danubium crudelissimum Turcarum Tyrannum solo CAROLI nomine expulsum, & fugatum aspexit. Dicant Galli, Sicambri, & Cimbri. Dicat Europa, atque omnis terrarum plaga ejus clarissima gesta, cujus famam semper posteritas admirabitur, cujus de laudibus nulla unquam ætas conticescet. O Heros inter omnes maximus recensendus! o CAROLI SECUNDI Atavus gloriosissimus! o AUSTRIACA de Cęlo delapsa progenies! Et si ex ungue Leo, atq; ex umbra cognita fuit olim Pyramidum altitudo, satis sit ex hoc uno totam AUSTRIACAM prosapiam demonstrasse. Quid autem, si in-

innumeras, & eximias CAROLI SECUNDI virtutes contemplari velimus ? Omnis quidem acies ingenij tot virtutum lumen intuens ; hebeſcet. Quis enim ejus comitatem, ac benignitatem non admiretur ? cum omnibus Regia pateat: nemini prohibeatur acceſſus: omnes ſereno vultu excipiat: omnes amabili majeſtate alloquatur. Quis ejus miſericordiam ad Cœlum laudibus non efferat ? cum nemo egens, quod petit, non impetret: nemo rebus ſuis deſperans, cui non præbeat auxilium. Quis ejus continentiam prætereat ? cum nullis voluptatum illecebris moveri, nullo Sirenum cantu trahi poſſit: ut, tanquam Xenocrates, ne candor animi, atque integritas labefactetur, mori malit, quàm fœdari. Quis non obſtupeſcat animo perpendens, qua manſuetudine ſedet iram: qua temperet dolorem patientia: qua animi ſerenitate mœroris nubes disjiciat: quo

be-

benevolentiæ fonte odij flammas extinguat? omnes enim commotiones, quæ in mentis arcem tumultus excitare solent, virtutum habenis coercet, ac regit. Quanta Justitia populos, Urbes, & Regna moderatur? quanta tranquillitate geminos terrarum orbes gubernat? cum mœrentes honoribus, nocentes meritis afficiat supplicijs. Quanta effulget clementia, & mansuetudine? qui non modò ijs, qui ipsi nocere voluerunt, vitam remisit, sed etiam amplissimis dignitatibus cohonestavit: qui neminem puniri vellet, nisi vereretur, ne scelestorum hominum multitudo sua cresceret indulgentia. Quàm eximia prudentia, & fortitudine belli Duces, ac milites deligit, exercitus armat, & conflat, castra præsidijs munit, ab hostium incursionibus defendit? quàm singulari pietate Christi religionem propagare conatur? quem neque Aulæ splendor, neque Im-

perij

perij magnitudo, neque ampliſſimus Dominatus, neque luxus à ſancto, & pio conſilio removere potuerunt: Hinc templis donaria, materia, & opere mirifica dicare, & ſacras ædes conſtruere non deſinit: Deo ſacrificia offerenda, ſupplicationum illuſtres Pompas, & quæcunque ad Divinum cultum conferunt, conficienda ſemper curavit. Quod ſi Aſiæ Reges, ac Dynaſtæ ſive, ut fugientis gloriæ umbram, nominiſque famam quærerent, ſive Numinis colendi ſtudio, ac religione ducti, ſe clariſſimos, ac fortunatos putabant, ſi ad Epheſinæ Dianæ templum cohoneſtandum magno ſumptu, ac opere, vel unam columnam adjeciſſent: quam nominis immortalitatem ſacræ magnificentiæ operibus, AUSTRIACUS REX non eſt aſſequutus? Dum ſtabit Alexandria, conditorem ſuum, tanquam parentem, Alexandrum loquetur: nec fama noſtri Regis delebitur, dum

ſta-

ſtabunt viæ, quas ſtravit: ædificia, quæ conſtruxit: mœnia, quæ erexit: urbes, quas inſtauravit. Et ſi Claudius Appius Populo Romano non tam carus fuit propter præſtantem ſapientiam, generiſque nobilitatem, quàm ob viam ſtratam, quæ veterum Scriptorum monumentis de ſuo nomine celebratur: quàm cariſſimus eſt ſuis ſubditis CAROLUS SECUNDUS ob publicas conſtructiones? An ſupremas REGIS AUSTRIACI laudes attigimus? Nullum ſanè tantum eſt flumen ingenij, nullaque dicendi tanta vis, quæ non dicam exornare, ſed ejus virtutes enumerare poſſit. Itaque ſileat ſuos Cyros, atque Darios Perſis, Philippos, & Alexandros Macedonia, Ptholomæos Ægyptus, Mauſolos Caria, ac ſuos Cœſares Roma. Cedant omnes uni CAROLO SECUNDO Hiſpaniarum Monarchæ, ac noſtri Regni Auguſtiſſimo Regi. Regem tam claro

genere natum, tam benignum, tam misericordem, tam integrum, tam prudentem, & fortem, tam clementem, & mansuetum, tam pium, tam magnificum fera mors rapere nobis est conata. Proh Deus immortalis! in quanto versati sumus periculo, quantis malorum procellis, quantis calamitatum turbinibus jactati, atque exhausti fuissemus, si REX AUSTRIACUS migrasset ad Cœlum? protinus Fides, Pudor, Innocentia, Pietas, ac Virtutes omnes opprimerentur. Fraus, libido, petulantia, temeritas, amentia triumpharent: protinus hostes nostrum interitum, exitiumque anhelantes irrumperent: agros excursionibus depopularentur: omnia, quæ possidemus, diriperent: quicquid nobis pretiosi, & æstimabilis esset, raperent: mœnia, domos, arces delerent: templa plurimis referta donis spoliarent: statim aspiceremus affligari æquestrem ordinem,

nem, squallere Senatum, plorare senes, adolescentes ad Reipublicæ bonum natos, aut trahi ad necem, aut ad miseram redigi servitutem, liberos partim è matrum sinu abripi, partim ante parentum oculos trucidari, Virgines ab hostibus rapi, ac violari, omnia plena cadaveribus, cœde, sanguine, atque hanc Urbem, Italiæ delicias, fieri funestissimæ Tragediæ spectaculum. O horrendum exitium! o calamitatem intolerabilem! o miseram Neapolim! o infelicem Italiam! o totum terrarum orbem deplorandum! melius esset millies mori, quàm hæc videre, ac sufferre. An cœtera Italiæ loca quiete fruerentur? Scinderentur quidem Alpes: Apenninus arderet bello: manaret sanguine Eridanus: Tybris præter morem inundans, Capitolium quateret: Inferum, ac superum mare hostium classibus infestaretur: iterum Totilas, & Attilas, cum

Gothis, & Vandalis adessent armati: iterum Saraceni demolirentur Urbes, pararent incendia : ubique grassaretur fames : ubique esset luctus: ubique clamor, & horror. An Hispania ubi nostri REGIS Aula, tanquam Cœlum refulget, acquiesceret? Profecto sine CAROLO SECUNDO, veluti sine Sole suo, jaceret in tenebris. Pyrenæorum culmina fulminibus assiduis ferirentur: mœstus doleret Iberus: Tagus fremeret ad Oceanum: majoribus æstibus Herculeum fretum agitaretur: denuo Numantia, & Saguntus solo æquarentur. Nunquid Gallia depositis armis ad Ararim, & Sequanam somnum caperet? finem præliandi faceret? in Belgicas Provincias impetum facere desineret? Heù quanto sanguine Rhodanus, quanta Scaldis inficeretur clade, quantis Britannia, & Hybernia fluctibus vexaretur! Nunquid Pannonia apud Danubium pacata suos coleret agros,

lætas

lætas exerceret ſaltationes? Nunquid in Boſphoro Thracio Turcarum Tyrannus ſuam ſævitiam, & immanitatem in Chriſtianos cohibuiſſet? An in Aſia, & Orientalis Indiæ Inſulis nullæ ſeditiones? An in Meſſicanis, & Peruvianis oris nulli tumultus? An in Africæ litoribus nullæ cœdes, nulla commotio? Quid? nullæ ſeditiones? nulli tumultus? nullę cœdes? nulla commotio? Totus quidem terrarum orbis everteretur, ac ferè occideret. Aſſyrij Imperij clariſſimum lumen ſcimus eſſe penitus extinctum? extinxit Principis interitus. Perſarum fortunatiſſimum dominatum audivimus eſſe deletum? delevit Principis obitus. Romani Imperij dignitas fuit afflicta? afflixit mors Principis. Omnes Imperiorum occaſus, quos audimus, (quot autem non audivimus?) uni Principum morti ſunt tribuendi. Quod ſi mortuo Alexandro, florentiſſimi exercitus fue-

runt

runt profligati, plurimique viri fortes interempti, ac tota ferè Asia, & Europa præliorum arsit incendio, cum de Græciæ dominatu dimicaretur: si interfecto Julio Cæsare Romana Civitas Civium sanguine inundavit, atque homines inhumani civili cœde expleri non potuerunt: quot belli flammæ suscitarentur? quæ cœdes? quæ clades fierent? quantum sanguinis effunderetur, si CAROLI SECUNDI, qui multò dignior est Alexandro Macedone, & longe præstantior Julio Cæsare, spiritus è corporis vinculis solutus evolasset ad Cœlum? Agamus, agamus maximas DEO gratias pro restituta nostri Regis salute: cujus incolumitas est salus Vrbium, Regnorum, totiusque orbis terrarum firmamentum, præsidium, & columen. Agamus æterno Numini æternas gratias pro tanto beneficio, quo Divina Providentia Neapolim, Italiam, Hyberniam,

In-

Indiam, Europam, Americam, ac totum terrarum orbem à calamitatibus, à ruinis, ab incendijs liberavit. Æternas, inquam, Cœlitibus agamus gratias pro CAROLI SECUNDI vita conservata; etenim si vitam ducimus: si Solem intuemur: si agros, si domos, si fortunas possidemus: si castitas, si Justitia, si pietas, si reliquæ virtutes coluntur: si in nostra Neapolitana Acadamia bonæ artes, ut Athenis olim, florescunt: si pax, si tranquillitas Civium animos recreat: si quicquid optamus, est in nobis, id omne CAROLI SECUNDI vitæ acceptum referendum. Quamobrem si navigantes in Jonio, aut Ægeo mari subitis turbinibus ita fuerint jactati, ut parum abfuerit, quin paterentur naufragium, cum præter spem in portum appulerint, malorum obliti, in litore genio indulgent, ac lætantur: si Cygni, quos in aere ex improviso advolans

volans Vultur fame agitatus insequitur, urget, jam jamque diripere conatur, cum ab ejus rapacibus unguibus evaserint, statim ad vada Mæandri, aut ad Caystri ripam jucundum edunt concentum: Nos quoque tam gravi, tamque extremo periculo, quod nostris capitibus impendebat, liberati, quo gaudio perfundimur? qua exultamus lætitia? quam hilaritatem percipimus? Meus quidem animus tantam voluptatem capere non potest; & si deposita Oratoris persona, mihi Poetam agenti liceret uti aut Cythara, qua Thebanus Pindarus Olympica, & Pythia certamina canere solebat: aut lyra, quam fabulantur sistere flumina, ac movere saxa: aut Homeri tuba, quam Magnus Alexander invidit Achilli, profecto tam lætum, ac felicem diem jucundis carminibus celebrarem. O fausta lux! o felicissimus dies! Convaluit REX noster AUSTRIACUS, atq;

ita

ita convaluit, ut in Solio Sceptrum tenens Vrbes, & Regna gubernet: At quis Machaon triſtem morbum depellere, quis Podalirius ad priſtinam valetudinem revocare; quis Hippocrates à periculo vindicare, quis noſtri REGIS vitam conſervare potuit? Anne ut de Ænea comminiſcuntur, Numen aliquod fictum, & mendax dictamum ab Ida monte colligens vehementi malo occurrit? Vota Chriſtianæ pietatis, quorum AVSTRIACVS REX ſemper ſe patronum, ac defenſorem præbuit: vota, & preces tot populorum, quos ille tanquam pater amantiſſimus fovet, diligit, & amat, optatam ſalutem à DEO impetrarunt. Valet REX meus AVSTRIACVS: O fortunatum ſeculum! nunc verè cum Sulmonenſe dicere licet: lactis eunt flumina, & nectaris, mella ſtillant ex ilice. O nimium felix, ac beatum nuncium! Gaude Neapolis, gaude,

atque in arcibus, in domibus, in Templis, omnibusque locis plaude, & modulare. Jam tota Civitas exultat, & plurima dat signa lætitiæ, Te Ducem sequens, Excellentissime Princeps, qui tot solemnibus pompis, ac theatralibus ludis nos exhilaras, atque oblectas, qui in Parnassum Palatium transferre, atque Aulam Musarum domicilium reddere voluisti, cum omnium eruditorum cœtum convocaveris, ut AVSTRIACI REGIS nomen immortalitate donetur. Exultemus, & lætemur omnes, atque ut olim Romani devictis, & fugatis hostibus, triumphos parare, ac trophæa instituere solebant: sic nos expulso, ac superato inimico morbo triumphemus: reparata REGIS nostri salute arcus, & trophæa erigamus. Gaudeamus, omnique animum mœrore levemus, atque unâ manus ad Cœlum extollentes maxima cum gratiarum actione petamus,

& ob-

& obſecremus, ut DEVS Optimus Maximus Auguſtiſſimum REGEM noſtrum AVSTRIACVM ſemper conſervet, ejuſque vitæ multos fortunet in annos. O terræ, ac Cœli moderator DEVS, cujus nutu flammarum globi in fornacibus non ardent, procellæ, ac turbines è mari diffugiunt, & Inferi contremiſcunt. Depelle in poſterum læthales morbos à noſtro REGE: CAROLVM SECVNDVM, unicum pietatis exemplum, defende. Ne ſinas unius vitæ periculo totum terrarum orbem concuti, ac ferè perire: Ne ſinas unius morte Chriſtianæ Religionis hoſtes triumphare. CAROLVM SECVNDVM noſtrum REGEM, cuſtodi. REX AVSTRIACVS, ſpes noſtra, diù degat in terris. Reſpice Romæ, & Hieruſalem preces, tot populos orantes. miſerare. Tribue tandem optatam prolem: tribue AVSTRIACO germini fœcunditatem. Naſcatur

tandem parvulus, qui tanquam Sol, omnes diſſidiorum tenebras à Chriſtianis Regionibus removeat, qui labantem terrarum orbem confirmet, qui devictis, ac disjectis Chriſtiani nominis hoſtibus, amiſſa potiatur Solyma, Sanctum Sepulchrum liberet, Romanam conſoletur Eccleſiam. Da novam prolem, Omnipotens, tot Regnorum gementium preces exaudi. Vivat CAROLVS SECVNDVS ſemper felix; ſemper incolumis vivat. Viue & ipſe, Princeps Excellentiſſime, hujus Regni digniſſime Prorex. Vive LACERDA METHYMNÆ COELIÆ, qui magno cum plauſu in omnibus optimè te geris, ſiue in claſſibus Principatum obtineas, ſive in Regnis Imperij clavum teneas: cujus feliciſſimo auſpicio, ac moderamine noſtra exultat Parthenope, atq; immortales habens gratias ſe totam in perpetuùm devincit, ac dedicat.

EJUS-



EJUSDEM JOSEPHI THOMÆ

POEMA

DE REPARATA

CAROLI SECUNDI

SALUTE.

LIBER PRIMUS.

AUSTRIACI REGIS reparatam canto salutem,
Qui morbo ereptus retulit de morte triumphum.
Pierides Divæ, colitis quæ culmina Pindi,
Auxilium præbete, mihi aspirate canenti.
Juppiter omnipotens, nutu qui cuncta gubernat,
Dilectum cernens populum, gentemque fidelem

In

In terris latè cumulantem altaria donis,
Vota, precesque hominum lætus iam corde fovebat.
Ast ubi Threicijs convertit lumina terris,
Arma parare videns, atque horrida bella minari
Regnatorem Asiæ injustum, sævumque Tyrannum,
Turbidus hæc secum Divina mente loquutus:
Gens inimica mihi fidas evertere gentes
Audeat? & credat victam se vincere posse?
Vidit hyperboreâ quot corpora strata Viennâ?
Ingentes quotnam spectavit cœdis acervos?
Devictæ Budæ quantum sub mœnibus altis
Sanguinis effusum, cum vertere terga coacti
Sunt sævi Thraces, propriasque relinquere sedes?
Flumina adhùc atro cernuntur sparsa cruore,
Fusaque nunc latos albescunt ossa per agros.
Miscere ergo iterum audebunt hæ prælia gentes?
Corpora multa virùm passim sternentur arenæ?

Ali-

Alitibus, canibusque feris data præda jacebunt?
Ipſe ego conjiciam vibranti fulmina dextra,
Disjiciamque acies, miſeranda ac morte reſolvam.
Non ſecus ac ſtravi quondam, detrudere Cœlo,
Cum me certantes armis voluère, Gigantes.
Talia tum ſecum Divina mente volutans
Omnipotens, Aquilam ad ſe protinus ipſe vocavit,
Quam ſic compellat flammatis vocibus ultro:
Nuncia fida mihi, cœleſtes deſere ſedes,
Vulcanique domum tenues pete tecta per auras,
Atque mea hæc illi mandata referre memento:
Dic, ſubito conflet radiantia fulmina, poſſim
Urere queis ſevas acies, claſſemque rebellem.
Sic ait: at dicto parens hæc Ocyor Euro,
Trinacriæ ad litus rapidis ſe contulit alis.
Cum vero levibus pennis pervenit amœnos
Ad campos, Cereris vernos ubi filia flores

Le-

Legerat, & fuerat crudeli rapta Tyranno.
Allapſa extemplo fumante in vertice ſiſtit,
In cujus latere & vaſta ſub rupe cavata,
Antrum immane tonat, rutilantem ructat & ignem:
Dat gemitum tellus, ſtrepitu Cœlum omne reſultat,
Finitimæque pavent urbes, nemus omne remugit,
Omnis & agricola hoc ſonitu perterritus arva
Deſerit aufugiens, curamque relinquit aratri.
Exanimant tantùm reſonantia ſaxa caminis.
Atram ſpeluncam ingreditur pennata Satelles,
Nec timet horrendos ſonitus, flammaſque voraces.
Ignitum ferrum hoc vaſto Cycoples in antro
Viribus exercent validis, nudusque Pyracmon,
Brontes, & Steropes geminant incudibus ictus.
Tegmina tuta cavant capitum, clypeosque decoros
Effingunt alij, rutilaſque in caſſide criſtas,
Loricas alij expediunt, enſesque nitentes;

Fer-

Fervet opus, cuncti noctesque, diesque laborant.
Hæc opera Ætnæo fabrilia spectat in antro
Ales, at Ignipotens mira cęlaverat arte
Fulgentem clypeum gemmis, auroque micantem;
In latere aspicitur triplici circumdata muro
Buda potens, nimiumque obsessa potentibus armis;
Scandere certatim facta testudine muros
Contendunt hostes: nequeunt defendere Cives,
Sternuntur partim confossi pectora segnes,
Arripiuntque fugam partim formidine capti,
Invictamque urbem quondam, patriamq; relinquunt.
Ast alia clypei fulgentis parte Vienna,
Hostibus innumeris multa obsidione tenetur.
Non ullam Cives possent sperare salutem,
Ni daret auxilium Princeps, acerque Polonus.
Hæc Pater in clypeo miranda dum arte polibat
Lemnius intentus, convertens lumina circum,

Vidit Avem, ſcutum confeſtim informe relinquens,
Effudit tales hirſuto è pectore voces:
Quæ tibi cauſa fuit, magni Jovis armiger, ædes
Linquere ſidereas, noſtraſque intrare cavernas,
In quibus aſſiduis circumtonat ictibus Æther,
Ætnæique ſtruunt Marti dura arma Cyclopes?
Hæc Vulcanus ait: Cui talia reddidit Ales:
O Deus Ignipotens, Cœli delapſa per auras,
Hùc Jovis Imperio veni. Hic te fingere juſſit
Fulmina, ut hoſtilem poſſit comburere claſſem:
Hæc fata: Ille videns atro Cyclopas in antro
Intentos operi, ſic vocibus ora reſolvit:
O Fidi Socij, tribuit queis robora virtus,
Imperfecta feri nunc arma relinquite Martis,
Fulmina ſunt fabricanda Jovi, quo cuncta tremiſcunt,
Cujus juſſa nefas contemnere: viribus uſus
Nunc veſtris: veſtra nunc eſt opus arte magiſtra:

Præ-

Præcipitate moras: incepta reponite Martis
Arma citi: totisque incumbite viribus omnes:
Fulmina solliciti summo fabricate Parenti.
Dixerat: Illi autem properantes cœpta reponunt
Arma, atque effingunt supremo tela Tonanti.
Regina alituum armorum miratur acervum,
Et stupefacta simul rerum novitate requirit,
Quid struat his armis Mars, & quæ bella pararit.
Ingentem gemitum tum imo de pectore mittens
Lemniacum Numen, mœrenti hæc edidit ore:
Quanquã animus meminisse horret, penitusq; pavescit,
Innumeras cœdes, horrendaque bella referre,
Quæ latè fuerint totum dispersa per orbem.
At si tantus amor pugnarum noscere causas,
Terrarumque juvat magnos audire labores,
Accipe, quæ referam, memorique in pectore serva:
Egregia in terris Princeps pietate refulgens,

Qui regit Imperio terras, populosque gubernat,
CAROLUS AUSTRIACUS claro cognomine dictus,
Cunctorum nulli Regum virtute SECUNDUS;
Hic morbo jacet in stratis; febrique maligna,
Claudet & æterno jam jam sua lumina somno,
Et paucis horis terrarum deseret orbem.
Heù quantas cædes Orbis, quot sæva videbit
Funera, vitales Princeps si liquerit auras!
Sanguine quàm multo manabit mœstus Iberus!
Quàm Tagus Oceani luctantibus obstrepet undis;
Herculeumque fretum maioribus æstibus actum,
Quot rapidos tollet suprema ad sidera fluctus!
Ipse caput Rhodanus medijs extollet ab undis,
Emittens tristes imo de corde querelas,
Corporibus cæsis plenas cum viderit oras;
Viderit atque suas infectas sanguine lymphas.
Tunc præter morem percurret Scaldis inundans

La-

Latos per campos, atroque cruore rigabit
Rura propinqua: gemetq; Britannia mœſta ruinas,
Atque ſuam lacrymans ſpectabit Hybernia mortem
Bella gerens: nullos recolet Germania campos,
Non ullos edet cantus, nullasque choreas
Exercebit ovans: mœſtus lugebit & Indus:
Boſphorus aſpiciet crudelia bella Tyranni
Threicij, plorans & Meſſica Terra pavebit:
Africa littoribus cernet ſua funera paſſim:
Alpes ſcindetur, manabit ſanguine multo
Eridanus, turgens quatiet Capitolia Tybris:
Italiæ fortaſſe iterum mox Vandalus oras
Adveniet, campoſque armato milite complens,
Corpora multa virùm ſternet, ſtragemque parabit:
Non ſecùs ac præceps Montis de vertice Torrens
Saxa trahit rapide, & ſylvas rapit omnia ſecum,
Exitium armentis affert, domibusque ruinam:

Omnia

Omnia ſic armis evertet ferreus hoſtis:
Cædentur latè pueri, Juveneſque, Senesque,
Crinibus & matres fruſtra de more ſolutis,
Templa petent ſuperum votis, precibusq; requirent,
Ut tanti belli flammarum deſinat ardor.
Tùnc maleſuada fames cunctis graſſabitur oris,
Clamor ubique, pavor, funeſtæ & mortis Imago.
Quis referet cladem, toto quæ fiet in orbe?
Hæc, hæc cauſa fuit, cur Mars hæc arma rogarit,
Cur noſtri aſſiduis manent ſudoribus artus.
Mulciber hæc. Ales contra eſt his vocibus uſa:
Da precor, o Vulcane, ſtatim mihi fulmina, raptim
Nam mea Cœlicolum ad Regem flagrat ire voluntas,
AUSTRIACO ut REGI poſſim impetrare ſalutem,
In terris qui unus claro ſub ſtemmate noſtram
Exprimit effigiem, ac tanto dignatur honore.
Da, Vulcane, mihi ſubito, da tela triſulca,

Una

Una ſalus Regis cogit properare, ſalutis
Cura nimis tanti Regis mea pectora mordet.
Continuo ille jubet ſocios celerare Cyclopes,
Qui prompti ducunt horrendos fulminis ignes.
His Avis acceptis, Vulcania tecta relinquit,
Æthereaſque plagas rapidis petit ardua pennis;
Nec ſiſtit quamvis Cœlum nox atra tenebris
Cingat, & alituum, & pecudum genus omne quieſcat,
Quamvis & nullo ſplendeſcat Luna nitore,
Nec ſolito ardentes ſtellæ ſplendore coruſcent.
Aſt ubi jam medium Cœli tranaverat Ales;
Ecce rubeſcebat pulſis Aurora tenebris,
Eoamque domum clarus reſerabat Apollo,
Cujus fulcitur tectum ſublime columnis,
In quibus effigies gemmis, rutiliſque Pyropis,
Undique præfulgent adamantibus, atque ſmaragdis,
Signaque Zodiaci referunt, ſeptemque Planetas.

Una

Una ex parte domus renitet jucunda juventus
Anni, cui texunt violæque, & lilia amictum
Candida, cui cingunt florentia tempora serta.
Parte autem ex alia spicarum cincta corollis,
Torrida conspicitur maturis frugibus æstas,
Qua nitidi fontes arent, herbæque virentes.
Cernitur Autumnus robusto corpore, vestis
Sordida cui pendet, maculata, impexaque barba,
Cui rubro vultus musto, vinoque rubescit.
Hinc glacialis Hyems canis hirsuta capillis,
Horrens expallet, trepidat, nivibusque tremiscit.
Non procul inde Senex, nulla est quo longior ætas,
Semper iter rapidum tendens velocibus alis,
Dente terit chalybem, ferrumq; & marmora frangit.
Omnia consumit, totis at viribus illos
Non lacerare potest libros, quos dextera gestat,
In quibus apparet quicquid scripsère diserti

In-

Inclyta geſta Ducum, veterum & monumenta virorũ.
Temporis è rabido roſa omnia dente peribunt;
At literis, armisque manet, ſemperque manebit
Gloria, & immortale decus fulgebit in ævum.
Interea celeres horæ è præſepibus altis
Educunt currum, cuius temo aureus, aurei
Atque orbes, ſimul ex auro prælucet & axis,
Et radij rutilis gemmis, auroque renident.
Sub juga jam poſiti ſpirant è naribus ignem,
Hinnituque auras feriunt, & Xantus, & Æthon.
Aſcendens currum retegit jam lampade terras
Titan, fertque diem, totumque illuſtrat Olympum.
Tunc acceſſit Avis, Jovis atque ingreſſa Tonantis
Cœleſte ad ſolium, vultum demiſſa profatur:
O Pater Omnipotens, Uulcani tecta petivi,
Hic tibi Cyclopes juſſit fabricare coruſca
Fulmina, & arma ſtatim ſævi deponere Martis.

Aſt ego loricas, clypeos, enſeſque nitentes
Aſpiciens, cœpi ſcitari, & quærere cauſam,
Tot cur Cyclopes gladios, atque arma pararint:
Rettulit ille mihi ad ſuprema accedere fata
Heroë AUSTRIACUM, unde horrentia prælia ſurgēt.
His ego perceptis, celer antrum immane reliqui,
Præcipitique tibi curſu fera fulmina duxi,
AUSTRIACI ut ſupplex poſſim exorare ſalutem.
Da precor, Omnipotens, Regi concede migranti
E vita longam vitam, miſerare gementes
Tot populos, gentesque, mei miſerere dolentis.
AVSTRIACVS Princeps ſpatium ſi finiet ævi,
Exprimet effigiem noſtram quis ſtemmate Regum?
Ante tuas aras quisnam tibi thura cremabit?
Quis tibi ſacrificans meritos perſolvet honores?
Edidit hæc orans: Summi at Regnator Olympi,
Fulminibus poſitis, Maja vocat Arcada natum.


Quem

Quem ſic alloquitur: Propera Caducifer Hermes
Tartaream ad ſedem, quæ habitant in faucibus Orci,
Adveniant diræ Parcæ. Nec plura loquutus:
Tum Maja genitus nectit talaria plantis,
Protinus & Scythicas Boreæ ſe duxit ad oras.





LIBER SECUNDUS.



PArrhasiæ est regio gelido sub Virginis axe,
In qua tecta jacet densis spelunca tenebris,
Immanis, præceps, atris serpentibus horrens.
Non ulla hùc penetrant radiantia lumina Solis,
Non ullam lucem, Phœbe, nec sidera mittunt.
Mercurius densas Erebi hàc descendit ad umbras.
Vestibulum ante ipsum, luctus non territat illum,
Nec metus, ultrices curæ, nec tristis egestas,
Nec labor, atque fames, morbus, squallensq; senectus,
Nec dolor, aut lethum, somnusque simillimus ipsi;
Non illum terret bellum, aut discordia demens,
Nec sævi Emenidum thalami, sedesque cruentæ,

Et quamvis Hydra inſurgat, flammisque Chimæra
Intonet horrendum, quamvis Stymphalides uncis
Unguibus invadant, & Gorgones anguibus atris:
Attamen impavidus tranſit Phlegethontis ad undas,
In cujus ripa gemit horrida cymba Charontis.
Nec canis infernus terret tria guttura pandens,
Obſcurasque implens vaſtis latratibus umbras;
Quin etiam agnoſcens Numen rabido ore quievit,
Movit & illecebris caudam, preſſitque latratus.
Divum incedentem non detinet ipſa flagello
Tiſiphone, non Alecto redimita colubris,
Non quæ mille modis torquet truculenta Megæra.
Tranſit Atlantiades, gemitus atque audit eorum,
Queis turpi incenſum, nimiaque libidine pectus
Arſerat in ſuperis terris, dum vita manebat.
Fœdum nidorem ſentit, triſtemque Mephitim,
Quam ſtygis exhalant horrendæ ſtagna paludis.

Aſpi-

Aſpicit & pœnas ſcelerum, ut crucientur in imo
Fulmine confixi, ſtrati, victique Gigantes.
Aſpicit, ut vinclis ſtrictus, radijsque rotarum
Pendeat Ixion, qui ſe jactaverat eſſe
Complexu dignum Junonis: at illicò magnus
Juppiter intorquens fulmen demiſit ad Orcum.
Cernit, ut in medijs dirus ſtet Tantalus undis,
Pomaque diffugiant, avidus dum carpere quærit:
Nec tamen hæc ſceleri eſt æqualis pœna putanda,
Membra ſui Pelopis menſis apponere Divùm
Auſus cum fuerit: pietas non ulla parentis
Continuit dextram. Scopulis ò durior ipſis!
Cernit, uti Tityi roſtro cor devoret unco
Immanis Vultur, quo paſci haud deſinit unquam:
Hanc patitur pœnam Phœbi, quando ipſe parentis
Quæſivit temere caſtum violare cubile.
Nec tulit impune hoc facinus Pharetratus Apollo,

Ejus

Ejus nam telo pectus confodit acuto.
Tnm videt, ut diræ nequicquam Belides undas
Sanguine fœdatæ fluidas in vase reponant,
Ex quo mille vijs, multoque foramine lympha
Defluit: æterna hac plectuntur crimine pœna.
Spectat, ut ex alto rediturum vertice saxum
Sisyphus adducat, nam Cœli arcana retexit.
Pirithoum spectat, fatis qui agitatus iniquis
Plutonis quærens thalamos fœdare jugales,
Reginamque Orci, dominam violare potentem;
Plectitur immani saxo jam, jamque cadenti.
Prospicit ac illos, qui incestus, furta, rapinas,
Atque dolis varijs ausi fraudare propinquos,
Spernere Justitiam, quicunque & frangere leges
Divinas voluit, flammis ultricibus omnes,
Noctes, atque dies ardent, glacieque nivali
Vexantur, rabieque gravi, horrentique furore.

At

At jam ad Parcarum ſedem Cyllenia Proles
Pervenit, primoque gradus in limine preſſit,
Quarum prima colum retinet, filum altera voluit;
Tertia ſed vitæ pendentia ſtamina truncat.
O diræ Parcæ, nulli quæ parcitis, inquit,
Nunc Jovis Imperio ad cœleſtia Regna venite,
Accelerate viam ad Cœlum, nunc tendite greſſus,
Nanque agitur ſumma de re, terræque ruina.
Talia voce refert: Cœli ac petit aſtra volatu.
His dictis ſtupuère Deæ fatalia nentes
Stamina: ſupremique Jovis mandata faceſſunt.
Hinc imas Orci ſedes, Erebumque relinquunt,
Atque ſtatim celerant curſum bipatentis Olympi
Ad celſum Regnum, ac ſolium ſublime Tonantis:
Veniſtis, diræ Parcæ, tùm Juppiter infit,
Stamina quæ vitæ netis, nec parcitis ulli:
AUSTRIACI REGIS vitæ ne ſcindite fila,

Aurea fila colo æternum ducenda per ævum;
Sed ne Tartarei vultus cœleſtia fœdent
Regna, meis procul ite, procul diſcedite tectis,
Non licet hac vobis lucenti in ſede morari,
Quæ luctum, mortemque datis, nam ſpiritus omnis
His oris habitat formoſa luce refulgens.
Vos habitare decet fundo telluris in imo,
Semper ubi tenebræ, pallens ubi ſemper & umbra.
Dixerat: Accelerant illæ velocius Euro,
Umbrarumque graves ſedes, barathrumque reviſunt;
Atque ubi Cocyti ad flumen, ſtygiamque paludem
Advenère, Jovi parent, fila aurea ducunt.
Hoc Pluto advertens, ſcitari, & quærere cauſas,
A Jove cur fuerint ad lucida Regna vocatæ,
Illæ autem referunt ſupremi juſſa Tonantis,
Aurea quo fuerint vitæ dare fila coactæ
AUSTRIACI REGIS. Dirus tum pectore ab imo

Dat gemitum Pluto, quatiens & cornuà frontis,
Dentibus ac mordens caudam ſtridentibus, ignem
Luminibus vibrat, flammasque eructat ab ore,
Horrendumque fremens vaſto ſic intonat antro:
Nonne ſatis fuerat Cœli me pellere ſede
Juppiter, ac fratri tenebrarum tradere Regnum?
Quid juvat hoc Regnum, vacuum ſi reddere curas
Manibus? AVSTRIACI REGIS producere vitæ
Stamina cur tentas? vitæ ſi linqueret auras
Hic Princeps, totum fierent fera bella per orbem,
Et nigra innumeræ ruerent ad Tartara manes.
AUSTRIACUM Heroem patiar non ducere vitam:
Efficiam ut cernas terræ, Cœlique ruinam.
Non ego inultus ero, crudelia bella movebo
In ſuperos, validisque meis vis nulla reſiſtet
Viribus, evertam terras, pelagusque profundum,
Cœlicolasque tua ſublimi è ſede repellam.

Invito AUSTRIACUS morietur, Numine, Princeps.
O Fidi focij, Domino fuccurrite veftro,
Scindite vos Regis, vos ftamina fcindite vitæ.
Hæc ait, atque ingens gemuit, mugitque caverna:
Vocibus horrendis fævæ accurrère forores,
Seque Jovi Stygio præbent parere paratas.
Hìc verò Alecto ftridens horrentibus hydris
Protinus exclamat, rabidisque ita vocibus infit:
Ecce tuis juffis me promptam maxime Princeps,
Quodlibet ad facinus detur mihi cura nocendi,
AVSTRIACI REGIS contingam crinibus artus
Vipereis teneros, atro fpargamque veneno,
Ille meis tandem fternetur viribus hoftis.
Sic fata eft: Rabie Pluto fuccenfus, & ira,
I, decus umbrarum, propera: pete tecta SECVNDI
AVSTRIACI CAROLI: noftro cadat ille veneno.
Vix hæc ediderat: Celerans velocibus alis

AVSTRIADVM ſedes, aulamque petivit Erinnys.
Juppiter interea Parnaſſi ad culmina montis
Mercurium mittit, crinito edicere Phœbo
Vt ſubito varias celſis è montibus herbas
Colligat, & flores, ſuccos, ac balſama conflet,
AVSTRIACVM ut REGEM ægrotantem liberet ęſtu.
Divorum Patri parens tum Penniger Arcas
Advolat, atque jugis Muſarum conſtitit altis.
Collibus Aonijs procul eſt genus omne ferarum:
Imbriferæ nullæ nubes hoc culmen adumbrant:
Turbidus haud agitur rapidis Aquilonibus aer:
Africus, atque Notus non ulla hìc prælia miſcent:
Aſpera non regnat glacies, nec frigoris horror:
Hìc nemora ornantur myrto, lauroque virenti:
Perpetuò floret tellus, Cœlumque ſerenum
Ridet, & æternos emittit campus odores:
Ver hìc perpetuum, ſemper levis aura movetur.

Hìc

Hìc Musæ resono permulcent æthera cantu,
Phœbus & in medio redimitus tempora lauro,
Concentum dulcem nunc his, nunc imperat illis:
Quælibet alternis modulatur carmina voce
Ad fontis ripam, cœpit qui volvere lymphas,
Bellorophontis equi cum perculit ungula saxum.
Calliope formosa novem Regina sororum,
Fortia facta Ducum, generosa & gesta virorum,
Qui fudère prius multo cum sanguine vitam,
Ac sibi pugnantes famam pepcrère perennem,
Mellifluis pandit modulis, ac tollit ad astra.
Ingeniosa refert Clio res temporis acti,
Omnes Divorum laudes, hominumque triumphos.
Implens Melpomene lacrymosis quæstibus auras,
Flet tragicos Regum clades, & funera acerba:
Sed licet hæc recinat nonnulla moventia fletum,
Corda tamen querulis lamentis sedat, & aures.

Feli-

Felices rerum eventus, casusque secundos,
Dulciter eloquitur plectro resonante Thalia.
Euterpe calamo, ac tenui modulatur avena,
Damonis, Lycidæque, & agrestia facta Menalcæ.
Therpsicore blandis citharis iramque, metumque,
Et spem, lætitiamque, fugam, magnumq; dolorem,
Concinit affectus varios, movet, imperat, auget.
Dulcisonis Erato numeris decantat amores,
Exercet choreas, præfert & gaudia vultu.
Uranie referens motus renitentis Olympi,
Describit tenero palantia sidera cantu,
Solis, & accessus, cursum, rapidosque recessus.
Brachia deducit molli Polyhymnia gestu.
Nititur hic ingens numerus, Juvenumque, Senumq;
Passibus haud lentis Pimplæum scandere montem,
Sudore exhaustus nimio, nimioque labore;
Sed vix defessus multum post temporis unus

Per-

Pervenit, & frontem viridanti fronde coronat.
Tum Maja genitus fari ſic incipit ore.
Phœbe potens cantu, ſuccos qui noſcis, & herbas,
Corpora cui virtus ſanandi, & cura medendi
Plurima conceſſa eſt, Cœlo me miſit ab alto
Juppiter æthereus, tibi ut hæc mandata reportem:
Fac, ait, ille legat varijs de montibus herbas,
Exprimat & ſuccos, pretioſaque balſama conflet,
Ad primam ut poſſit Regem revocare ſalutem
AVSTRIACVM, triſti morbo, febrique gravatum.
Dixerat: at gremium lacrymis implevit Apollo,
Namque fuit Phœbo carus, Muſiſque SECVNDVS
CAROLVS AVSTRIACVS, noſtri nova gloria Secli.
Ingentes gemitus imo de pectore ducunt
Pierides Divæ, pariter Phœbumque precantur,
Ut det opem AVSTRIACO REGI, mortiſq; periclo
Liberet herbarum virtute, atque arte medendi.

Ex-

Extemplo is colles ſublimes advolat Idæ,
In quibus alma Venus dictamum carpſerat olim,
Cum femur infixum nati curavit acuta
Cuſpide, lethali retrahens de vulnere ferrum.
At Divûm interpres dictis ſolatur amicis
Pierides mœſtas, memorans jam ſtamina vitæ
Protraxiſſe feras Divino Numine Parcas
AVSTRIACO REGI, multos qui vivet in annos.
Hæc inter, lapſos celſi de vertice montis
Præcipites cernens Juvenes, hic Nuncius Ales
Conſtitit immotus, doctas rogat atque Camænas,
Qua ratione cadant illi de culmine Pindi.
Cui placido Muſarum una eſt ſic ore loquuta:
Illi nulla cedro finxère poemata digna,
Quos nunc præcipitare vides, nullasque biberunt
Sacri fontis aquas, dicendi his copia ſemper
Defuit, hi ſemper caruerunt divite vena.


Idem conſpiciens auratis plena libellis
Scrinia, quæ ſunt tam præclara volumina, dixit?
Illa ſub hæc: Libri, quos magnus ſcripſit Homerus
Hic ſunt, & mira quos tradidit Ennius arte:
Dulcibus hic numeris ſunt verba ligata Maronis,
Arma, virumque feri cecinit qui horrentia Martis.
Hic Lyrici Flacci verſus, hic carmina Vatis,
Quem Latio felix eduxit patria Sulmo:
Hic nitet, in ſcenas quicquid deduxit, & actus
Plautus, & effinxit quodcumque Terentius Afer.
At cum deſpiceret lacerata Poeamata multa,
Atque abjecta, iterum ſic eſt Cyllenius orſus:
Hæc cur ſpreta jacent in terra, incultaque ſcripta?
Calliope dedit hæc contra reſponſa roganti:
Quæ nunc metra ſolo cernis neglecta jacere,
Indocta effudit temere, rudis atque Juventus,
Quæ non Caſtalij libavit fluminis undas.

Sic illa: At Patris ſupremi haud immemor Ales
Nuncius, ò Divæ, cogor diſcedere, dixit,
Juſſibus ut poſſim ſummi parere Tonantis.
Vos mihi Pierides ſuaves, caræque valete,
Omnem triſtitiam ex animo depellite veſtro,
Ex oculis tandem lacrymas prohibete fluentes,
Spero etenim (talis nec me ſpes paſcit inanis)
Me cito Parnaſſi rediturum ad culmina Montis,
Incolumi de Rege ut nuncia lœta reportem,
Cujus amor dulcis verſatur pectore noſtro.
His dictis, petijt Cœleſtia Regna volatu:
Ac velut in ſomnis tenuis, quæ apparet, imago
Effugit illa ſtatim rapidis velocior Euris;
Muſarum ex oculis fugit ſic Plejade natus.

LIBER



LIBER TERTIUS.



LEgerat interea celſis de collibus herbas
Phœbus, & è varijs conflarat balſama ſuccis,
Redderet ut REGIS moribundi in priſtina vires.
Jamque propinquabat claram Regnantis ad Urbem.
Hìc, ubi ad Oceanum ſurgunt ſublimè columnæ
Herculeæ, Europæ fines, Libyæque videntur,
Eſt ora, Heſperiam veteres quam nomine dicunt,
Hanc tumidis undis rigat altus Iberus ab Euro,
Et Tagus à Zephyro, Bætiſque à flatibus Auſtri,
Cingunt ex Aquilone Pyrenæi undique Montes;
In media AVSTRIACI CAROLI hac regione refulget
Regia, & hùc celerem curſum direxit Apollo,

Mœnia qui cernens, altarum ac tecta domorum,
Hìc, ait, in ſtratis languet virtute renidens
AVSTRIACVS Princeps, morbo vexatus acuto;
Miraturque vias ſtratas, ſedesque ſuperbas,
In quibus Heroes habitant, magnique Dynaſtæ.
Hinc, atque hinc vultus manantes fletibus, atque
Ora modis hominum vidit pallentia miris:
Audijt, & gemitus, voces, triſtesque querelas,
Quas mœſtæ Heſperides, crines de more ſolutæ,
Fundunt regifico luxu de marmore ſtructo
In templo gemmis nitido, fultoque columnis,
Quò veniunt lacrymis, votis, precibusque petentes
AVSTRIACO Regi caram, optatamque ſalutem.
Agnovit Phœbus, fuerat quæ cauſa doloris,
Et triſtis gemitus, tenditque ad Regia greſſum
Limina. Veſtibulum ante ipſum, foribuſq; ſuperbis
Inclyta geſta virùm multo proſpectat in auro,

Per-

Perculſusque ſimul lamentis, atque ululatu,
Vndique & aſſidue mœrens queis aula ſonabat;
Accurrit propere, CAROLI petit inde cubile,
Atque videns ſtratis ejus pallentia membra,
Vivida namque aberat languenti è corpore virtus;
Ægroto AVSTRIACO immortalia balſama ſpargit,
Et ſubito vires repararunt membra priores,
Jucunduſque color toto diffunditur ore;
Omnis abit languor, febris decedit & omnis:
Cara ſalus redijt, lætusque receſſit Apollo.
Tum caput extollit, tendensque ad ſidera palmas
AVSTRIACVS, meritas, inquit, tibi ſolvere grates,
O Pater Omnipotens, nequeo: ſub pectore firma
Gratia ſemper erit, ſemper celebrabere dictis
Ipſe meis. Dixit: Circum & ſua lumina volvens
Aſpicit aſtantes mœſtos, lacrymasque gementum,
Quos ſic ſolatur placido, vultuque ſereno:

Men-

Mentibus è vestris mœrorem tollite. Fidi
O famuli; ex animis pavidas deponite curas:
Jam concessa salus Divino Numine nobis;
Vos precibus, votisque Deo persolvite grates.
Sic fatus: Dedit & dulci sua membra quieti.
Spargitur interea totam vulgata per urbem
Fama volans, cunctorum ingenti & pectora complet
Lætitia. Inde senes, Juvenes, castæque puellæ
Templa piæ repetunt, onerantque altaria donis;
Ac veluti magno jactati turbine nautæ,
Spe sine cum portum tangunt, veterumq; malorum
Obliti, genio indulgent, lætantur, & omnes
Sollicitos subito ponunt de corde timores,
Littore & exercent cantus, lætasque choreas;
Sic reparata salus REGIS cum venit ad aures,
Cunctorum inflectit blanda dulcedine sensus.
Ast ululat tantùm, stridet, tristatur Erinnys,

Atque his horrendis clamoribus æthera rumpit:
Quid faciam infelix? Terris ego victa recedam?
Quid dicet Pluto? Eumenidum quid turba sororum,
Cum me Tartarea dejectam in sede videbunt?
Menè unquam victam terris decedere? Restant
Vincendi jam mille modi: Regnator Olympi
Non se jactabit Stygium superasse Acheronta.
Hæc ait: ac præceps Erebi descendit ad umbras;
Hanc ubi viderunt mœstam redijsse sorores,
Ilicet horrendis implent ululatibus antrum;
Ipsa sed immani rabie, cœcoque furore
Horrifici accedens umbrosum Ditis in antrum,
Auxilio Superum, clamat, reparasse salutem
AVSTRIACVM, occultas Erebi valuisse nec artes;
Pluto his auditis rabidus sic ora resolvit:
Quid nobis tandem suprema potentia prodest?
Si neque mortalem Regem compellere dira

Possumus ad fata, ut latè fera bella gerantur,
Per quæ mille viri miseranda morte perempti
Pallida Regna petant. Nobis sunt robora, firmo
Pectore sunt vires: evertam viribus orbem.
Vicerit haud semper qui torquet fulmina ab alto:
Haud semper tetro miser in Plegethonte jacebo.
Heù cur, ò Superi, Cœlo qui ducitis ævum,
Audetis vanas naturæ reddere leges,
Et CAROLO, invitis Parcis, conferre salutem?
Quos ego: sed præstat crudelia bella movere.
Sic ille: interea Phœbus festinat ad æthram,
Atque Jovi, pulsam febrim, morbumque fugatum
Enarrat virtute sua, medicamine, & arte:
Juppiter ereptum tanto discrimine Regem
Lætatus, Cœlo fieri solemnia sacra
Indixit, Musasque almo de Monte vocari
Jussit, ut AUSTRIACUM canerent super astra Monarchã,

Mul-

Mulcerentque Polum cantu, numerisque ſonoris.
Parnaſſi culmen ſubito Cyllenius Ales
Pacato vultu petijt, Divasque vocavit,
Quæ celeres Jovis ad ſublimia tecta volarunt.
His Pater Omnipotens ſolio ſic infit ab alto:
AUSTRIACO, cujus pietas quam maxima fulget,
Stamina tentarunt vitæ cui ſcindere Parcæ,
Cum fuerit collata ſalus ab Apolline noſtro,
Hunc feſtum celebrate diem, nunc gutture voces,
Ingeminate, lyræ nunc dulcia fila movete
Auratis plectris, melicos & fundite verſus:
Carminibus reſonent Cœli Palatia veſtris:
Tritonis Pallas, Venus aurea, pronuba Juno,
Caſta Diana choros exerceat: Iris, & Hebe
Frondes, atque roſas manibus dent lilia plenis.
AUSTRIACUS vivat, claro de ſanguine Prolem
Progignat, ſceptro totum ſuſtentet & orbem;

Eximijs ornet Divina altaria donis,
Usque triumphali redimitus tempora lauro.
Eja agite, ò dulces natæ, decoratę canentes
Principis invicti laudes, atque inclyta gesta,
Dulcisono & reboet cœlestis Regia plausu.
Assensere Jovis festivis Numina dictis,
Edensque ore melos liquidum, sic incipit alma
Calliope: Quamquam mandas nimis ardua nobis,
Omnipotens (REGIS summas attingere laudes
AUSTRIACI quisnam poterit?) tamen ipsa referre
Incipiam, quando tua jussa facessere cogor.
CAROLUS AUSTRIACUS, radianti lumine fortes
Cujus Majores fulsère ut sidera terris,
Excellit cunctis, ut Sol, virtutibus unus.
Hic facilè alloquitur semper, vultuque benigno
Admittit populos: ad se non impedit ulli
Accessum, placideque suos amplectitur omnes:

Ma-

Majestas semper lenis spectatur in ipso.
Comiter ò quoties miseris succurrit egenis!
O quoties rebus dubijs solamen amicum
Præbuit afflictis, ipsosque dolore levavit!
Hic animi motus solidæ virtutis habenis
Invictus domuit rectâ à ratione rebelles:
Laude pudicitiæ celebris, maculare pudorem
Noluit illecebris blandis, licet ortus in aula:
Quis fuit in terris unquam observantior æqui,
Imperium Astrææ recta quum lance gubernet,
Jus & cuique suum tribuat, nec læserit ullum?
AUSTRIACO CAROLO quisnam clementior unquam?
Crimine commisso meritas cum sanguine pœnas
Nemo daret; magnus Princeps ni fortè timeret,
Ne sua jam populis clementia tanta noceret,
Quandoquidem vitam crudelibus ipse remisit
Hostibus, & magnos etiam concessit honores.

Regifico luxu molitur templa, nec aras
Desinit ante pias redolentia Thura cremare,
Sacratas ædes pretioso munere complet,
Votisque assiduis oculos ad sidera tollens,
Et terræ, & Cœli supremum Numen adorat;
Mœnia, magnifico quæ erexit publica sumptu,
Quasque vias stravit, quæque oppida celsa novavit,
Quaque armet virtute micantes ære catervas,
Quis canat? atque Duces quo complectatur amore,
Et quibus auxilijs orbem defendat ab hoste,
Militibus facto tribuat quæ prœmia bello.
Dicere Musarum Princeps jam plura volebat.
Juppiter at jussit modulis imponere finem.
Calliope cecinit: plauserunt Numina, & omnes
Cœlicolæ: chordis doctæ plausère sorores.
Talibus arrisit nitidus concentibus Æther,
Altaque mellifluis sonuerunt atria metris.

Undique ſunt ludi, ſparguntur & undique odores,
Undique odorati funduntur nectaris urnæ:
Nec minus interea cunctis celebratur in oris
Terrarum tam fauſta dies, feſtiſque fugantur
Nocturnæ facibus tenebræ, tormenta per arces
Lætanti ſonitu ſimul exploduntur, & urbes,
Et regna, & populi teſtantur gaudia plauſu.
Neptunus tumidis ſenſit ſtupefactus ab undis,
Effert atque caput, cupit & cognoſcere cauſam,
Cur exploſa tonent altas tormenta per arces,
Lumine purpureo niteat cur clarus Olympus,
Florea gemmato cur gramine prata vireſcant,
Cur hominum teneant ingentia gaudia mentes.
Tum delapſa Polo vox hæc deuenit ab alto:
AVSTRIACI eſt reparata ſalus Regnantis Iberi.
Dulcibus obſtupuit dictis Neptunus, & infit:
Ergo eſt AVSTRIACVS vitæ revocatus ad auras?

O ni-

O nimis alma dies, albis ſignanda lapillis!
O tempus felix! o ſemper memorabile ſeclum!
Hæc ubi dicta: Vocat Tritonem, atq; inde repente
Imperat ut Pelagi Divi, Divæque vocentur.
Ille ſui Regis confeſtim juſſa capeſſit.
Et jam conveniunt curvæ ad modulamina Conchæ
Nereus, & Protheus, Phorcique exercitus omnis,
Nereides, venit pulcherrima & Amphithrite,
Quas ſic alloquitur tumidarum Rector aquarum:
AVSTRIACVS PRINCEPS, nobis cariſſimus unus,
Qui noſtro valida prædones æquore claſſe
Expulerat ſemper, jam jam moriturus, amico
Auxilio ſuperùm eſt vitæ revocatus ad auras:
Quilibet hinc hilares ſentit ſub pectore motus,
Urbes, tecta, domus, celſæ exhilarantur & arces,
Exultant campi, tellus exultat & omnis,
Sublimique Polo radiantia ſidera gaudent,

Hunc

Hunc quoq; nos celebrare diem debemus ovantes;
Quare agite, ò Divi, atque Deæ, clariſſima ſigna
Nunc date lætitiæ ſummæ, indulgete choreis.
Vix hæc ediderat, qui vaſtis imperat undis.
Geſtire incipiunt ſubito tunc Numina Ponti,
Cœruleumque implent lœtis clamoribus æquor,
Et lætus cantat Protheus, ſortemque futuram,
AUSTRIACIQ; refert prolem, quæ clara niteſcat;
Hoſtibus expulſis Solyma potiatur & Vrbe;
Imperium Oceano, famam quæ terminet aſtris.
Cantibus æquoreis lætantur Oreades altis
Montibus, & gaudent ſylvis Dryadesque, Napææ;
Najades & nitidis ſaltant in fontibus almæ;
Parthenope cithara Tyrrheno in littore Siren
Perſonat aurata, ſolemnesque erigit arcus:
Hujus ad harmoniam, noctes, tenebrasque fugare
Accenſis facibus juſſit LACERDIVS Heros,


Or-

Ortum qui ducens Atavorum è ſanguine Regum
Juſtitia celebri Regnum moderatur, & urbes:
Aulam qui voluit Muſarum reddere ſedem,
Eximiosque viros ad Regia Tecta vocavit,
Vt claras laudes, atque inclyta facta referrent,
AUSTRIACI, erepti immaturo è funere, REGIS:
Sacris in Templis adolens qui thura Sabæa,
Et ſuperis grates, vota & ſolemnia ſolvit.
AVSTRIACO incolumi totius denique Mundi
Machina reſpirans diffundit gaudia vultu;
Hos celebrant aer, cœlum, mare, terra triumphos.
Tartareus tantùm nigri dominator Averni,
Et ſævæ Eumenides plorant, ululantque, gemuntq;
Et quoniam AVSTRIACI fatis evertere gentes
Non potuère: necem, bellum, excidiumq; minantur.
Nequicquam aſt Orcus ſpirans è faucibus ignem,
Orbis conatur placidam turbare quietem;

Nam

Nam vivo AVSTRIACO pro nobis militat Æther,
Juppiter in Cœlo pro nobis fulmina ſervat,
Queis Erebi vires quatiet, gentemque rebellem,
Omnibus, & palmas, atque aurea ſecla reducet.





EJUSDEM JOSEPHI THOMÆ


POEMA

IN FUNERE

EXCELLENTISSIMAE

D. CATHARINAE ARAGONIAE,

SANDOVAL, &c.



LIBER PRIMUS.

MAgnificas Cœli pompas, clarumq; triumphum,
Quo cedens terris, Matrona petivit Ibera
Sideream ſedem, rutilis invecta quadrigis,
Dicere fert animus. Muſæ, memorate canenti,
Cur Heroinam ſummi Regnator Olympi

Jusserit extemplo telluris linquere valles,
Atque triumphantem superas revocarit ad oras.
Urbs antiqua jacet cunctis notissima fama
Hesperia in media, Regum gratissima sedes,
Cujus sublimes arces tolluntur in auras:
AVSTRIACI Imperij hic fulget laquearibus aureis
Aula, ubi sceptra tenens, soliumq; insigne Secundus
CAROLVS, imponit leges, ac Regna gubernat:
Multa hic præterea spectantur tecta domorum,
In quibus Heroes habitant, proceresque potentes,
Atque Heroinæ generosa è stirpe creatæ,
Inter quas omnes Atavis de Regibus orta,
Ut Phœbe stellas inter, CATHARINA renidet;
Hujus amore flagrans formosa, & candida Virtus
Destituit terram, propero petit astra volatu,
Constitit ante Jovem, supplex ac talia fatur:
Omnipotens genitor, Divumque æterna potestas,
Vivit

Vivit in Hesperia claro de sanguine nata;
Dives opum mulier, pietas quam nutrijt alma,
Inque meo fovi gremio à puerilibus annis:
Munifice largitur opes, & fronte serena
Excipit hæc omnes miseros; clementior ipsa
Non alia in terris, atque observantior æqui:
Nulli consilio, nulli probitàte secunda;
Emicat in roseo præclara modestia vultu:
Usque pudicitiæ candentia lilia servat:
Usque voluptatem cohibet, sensusque rebellis
Illecebras blandas constanti mente repellit:
Tartareos animo propulsat fortiter hostes;
Fortiter horrificam vitiorum comprimit hydram:
Assidue ante tuas aras redolentia thura
Comburit, sacrisque dicat donaria templis.
Oro, summe Pater, gnatæ concede petenti;
Deserat hæc Matrona solum, fœdasque relinquat
Ter-

Terrarum sordes, Cœli petat astra triumphans
Ah, quonam usque locis tandem remorabitur imis!
Da mihi, da, dilecte parens, quod filia posco,
Incolat æthereos orbes, sedesque beatas.
Dixerat: at contra Divum Pater, atq; hominũ Rex
Talia voce refert: Dabitur quod, nata, reposcis,
Temporis haud multum transiverit, ipse jubebo
Hanc Heroinam celsas conscendere sedes.
Sic ait, & totum nutu concussit Olympum.
Protinus at Virtus Divum è regione profecta
Præpetibus pennis Hispanam fertur ad Vrbem,
Dulcis ubi semper comes esse solebat alumnæ.
Nox erat, ac terris animalia cuncta soporem
Carpebant: sylvæ, pontusque silebat, & aer;
Jamque è cæruleis surgebat Lucifer undis,
Pellere Tithoni conjux & cœperat umbras,
Artus cum lenis CATHARINÆ somnus habebat;

In-

Inclyta & in ſomnis Virtus ſe ſe obtulit ultrò,
Quæ tales hilari effudit de pectore voces:
O decus Heſperiæ, ò mulier cariſſima Divis,
Quæ mora tam longa in ſtrato te detinet aureo?
Aſpice jam fulgens tenebras Aurora fugare
Cœpit, & excelſi luſtrat faſtigia montis
Prænitidis radijs redimitus tempora Phœbus.
Nonne audis, ut aves implentes dulcibus auras
Cantibus, invitent quemque ad conſueta laborum?
Surge age, linque torum, è tepido modò tolle cubili
Membra, age linque torum, ſacras pete protinus ædes;
Tempore namque brevi duceris ad aſtra triumphans.
Hæc ubi dicta dedit, tenues deceſſit in auras,
Mortalem formam medio ſermone relinquens.
Excutitur ſomno CATHARINA his vocibus, atque
Preſſa ſtupore gravi, varias ſub pectore curas
Volvit, & hæc ſecum vultu demiſſa profatur:

Quæ

Quæ nunc alta meam tentant insomnia mentem?
Decipit an pulchræ nunc me Virtutis Imago?
Ipsa brevi summi conscendam sidera Cœli?
Juppiter omnipotens, tanto haud me munere dignor.
His dictis, subito è strato stupefacta resurgit,
Atque animis ardet sacras invisere sedes.
Non procul exurgit vivo de marmore Templum,
Arboribus cinctum densis in valle reducta,
Effulgens rutilis gemmis, fultumque columnis;
Ornatum varijs auro splendentibus aris,
Relligione patrum sacrum, multosque per annos
Servatum summa semper pietate minorum,
In quo perpetuo fumant altaria Thure.
Dirigit hùc gressum, Titan dum lampade terras
Perlustrat transvectus equis, CATHARINA: sequūtur
Hanc comites lentis gradientem passibus omnes.
Qualis ubi lucum repetens Latonia Virgo,

In-

Incedit pharetra, & palla ſuccincta nitenti;
Flaventeſque effuſa comas, quas dimovet aura:
Nympharum magna in ſylvis comitante caterva:
Se talem ad ſacras ædes Matrona ferebat.
Vix procul ex altis muris veſtigia preſſit,
Ejus & aſpectu lætus ſine nubibus aer
Viſus, ſpirabant Zephyri felicibus auris;
Vndique ſe blandis ornabant floribus arva;
Vndique ſe tremulis folijs decorabat & arbor:
Plaudere viſa comis teneris, lætoque ſuſurro
Manabat fluvius nitidis pellucidus undis,
Qui cupiens puras gradientis lambere plantas,
Salve, jucundo reſonabat murmure, ſalve:
Najadumque chorus cantus, placidaſque choreas
Exercebat ovans, meritoque colebat honore.
Magnanima interea ſolito de more Virago
Exornare aras flammato corde volutans,

Floribus, & folijs, ramos frondentis olivæ
Virgineis manibus carpit, laurosque virentes:
Nectareos flores, argentea lilia, vernas
Colligit atque rosas, violas, gratosque Amaranthos:
Nec minus ancillæ gremium tum floribus implent
Augustæ dominæ exemplo, texuntque corollas:
Jamque gradum tendens ad limina sacra præibat,
Atque ubi prospexit Templum, postesque superbos:
Vos, sacri postes, vos, ô pia tecta domorum,
Quæ superum servatis, ait, simulacra, saluto.
His, tandem ingreditur Templum venerabile, dictis,
Atque genu flectens Divinum Numen adorat,
Sacra jubet fieri: sertis florentibus ornat
Aras, æternumque Jovem sic voce precatur:
O Terræ, Cœlique sator, qui cuncta gubernas,
Cujus non ardent nutu in fornacibus ignes,
Diræque Eumenides pavitant, Erebusque tremiscit,

Effice, præteritæ ſint vera inſomnia noctis;
Me ſine terrarum miſeram deponere curas,
Ac rapido concede mihi petere aſtra volatu.
Me rape: te cupio: tecum mea ſola voluptas:
Spiritus amplecti meus hic te cominus ardet;
Cominus iſta tuum videant mea lumina vultum:
Me trahe cœleſtem ad ſedem, reminiſcere & urbes
Hiſpanas: CAROLI AUSTRIACI reminiſcere Regis,
Incolumis vivens ducat per ſecula vitam:
Invictum CAROLUM mortis defende periclis;
Et felix terræ ſemper dominetur in oris;
Tempus in omne regat populos, gentemq; fidelem;
Turcarum redigat captiva in vincla Tyrannum;
Liberet Aſſyriam mœſtam, Solymamq; gementem;
Et prolem generet, gemino quæ regnet in orbe.
Reſpice, quæſo, meum LODOVICUM, reſpice gnatum,
Fungitur AUSTRIACO REGI qui munere Atlantis

Justitiaque, fide, Sebethi ad fluminis undas:
Fac multos natus degat dilectus in annos,
Parthenopesque ferat populo aurea secla gubernans.
His actis precibus, Superos venerata, recedit
Liminibus sacris, meditans Cœlestia Regna.
Juppiter interea speculatus ab æthere summo
Intentis oculis terrarum prospicit orbem;
Eversosque videt muros Carthaginis altæ,
Tectaque belligeris Tyrijs habitata colonis,
Quæ struxit miseri conjux phœnissa Sichæi:
Atque procellosas Syrtes ubi cautus Ulysses
Turbato socios amiserat æquore mersos:
Nec non pulvereos agitatos flamine montes:
Ammonis Templum, quo tendere sæpè solebant.
Fatidica innumeræ quæsitum oracula gentes;
Cernit & Atlantem, mundi qui substinet axem
Saxosis humeris, stellis fulgentibus aptum,

Omni-

Omnigenasque feras, quas parturit Africa tellus,
Horrificos colubros, Tygres, rabidosque Leones,
Et mediam Zonam ardenti quæ Sole rubescit,
Torridà Phœbeis radijs, & inhospita ab igne:
Hesperidum virides hortos, ubi lethifer anguis
Hercule percussus servaverat aurea poma:
Stagnantem & Nilum è Lunæ qui montibus altis
Ægyptum adveniens resonantibus irrigat undis,
Septeno impellens tumefactum gurgite pontum.
Aspicit ingentes arces, quas condidit olim
Magnus Alexander, bello qui terruit orbem:
Magnificas Thebas, simulacrum ubi Memnonis altũ,
Dulcisonum reddit cantum, dum dimovet umbras
Auricomus Phœbus, radijs & marmora pulsat:
Pyramides summo ferientes sidera cono,
Corpora queis fuerant Regum tumulata potentum,
Et Ptolemæorum exequata palatia Olympo:

Et multis aulam gemmis, auroque nitentem,
Quam coluiſſe potens Regina Cleopatra fertur;
Atque relucentes Erythræo in littore conchas,
Quæque Arabum tellus producit Cynnama felix,
Victori optatas palmas, redolentia thura:
Spectat & auguſtæ Solymæ ſublimia tecta;
Phœnicesque poli ſervantes ſidera primos,
Primos tingentes pretioſo murice veſtes,
Unde ſuas literas per Cadmum habuère Pelasgi:
Et quæ deſcendunt Libani de montibus undas
Jordanis fluvij; muros Babylonis & altos,
Quos Nini mater mira fabricaverat arte,
Altus ubi Euphrates, Cœlo gratiſſimus amnis,
Rura propinqua ſecans, fœcundos irrigat agros:
Atque ubi Cœleſte in ſolium erexère ſuperbi
Excelſam turrim, ac victi cecidère Gigantes,
Illuvies fatalis aquæ poſtquam omnia merſit:

Præ-


Præcipitem Tygrim, Armeniæ qui montibus exit;
Aurifluum Gangem, rapidum miratur & Indum;
Unde ſolet naſcens primam Sol fundere lucem;
Quò veniens Bacchus ſuperatis hoſtibus Indis,
Ad patriam redijt ſpolijs Orientis onuſtus;
Vnde & Alexander lætus, victorque receſſit.



LIBER



LIBER SECUNDUS.



POst Libyam, atq; Asiæ partem moderator Olympi
Conspicit Hircani ferventes æquoris æstus:
Et Populos Parthos, qui olim certamine Crassum
Devicère, Duci ac rapuère insignia belli:
Et Medos, Persas, telis, arcuque potentes,
Cyrus ubi sceptrum tenuit, Darius, & acer
Xerses, Grajugenis qui cladem & bella minatus,
Hellespontiacum superavit pontibus æquor:
Respicit atque truces Colchos, quos Thessala pubes
Per mare non notum ratibus jam prima petivit,
Exulis ut raperet radiantia vellera Phryxi:
Thermodontiacas & aquas, ubi fortis Amazon

Arcubus, & validis jaculis certare solebat:
Mœandri & Phrygij sinuosas fluminis undas,
Et vada, quæ resonant Cygnorum voce, Caystri:
Pactoli viridem ripam, fluitantis & Hermi,
Auro distinctis semper quæ fulget arenis:
Insuper ad Taurum convertit lumina montem,
Cujus in excelsis Aquilæ cunabula ponunt
Culminibus: Lycia in lata pariterque tuetur
Ardentes flammas mittentem ex ore Chimæram:
Atque Ephesum celsam, redolent ubi thuribus aræ
Magnifico in templo pulchræ, castæque Dianæ:
Et Teucrùm campos, steterant ubi pergama Trojæ,
Cum fuit Imperium Priami, Phrygijque manebant,
Nunc Xantus, Simois fluvij, & mons visitur Ida:
Delumque Ortygiam cinctam spumantibus undis,
In qua Titanis peperit Latona gemellos,
Fatidicum Phœbi Numen, Divamque triformem;

Et celebrem Lesbon, blandas ubi pollice chordas
Alcæus, Sapphoque ſimul pulſare ſolebant:
Et Scyron, Lemnum, Naxon, viridemq; Donyſam,
Per medium Ægeum diſperſas Cycladas omnes;
Urbibus & claram centum Curetida terram,
Quæ Jovis infantis vagitus auribus hauſit,
Lactis Amalthçæ nutrivit & ubere pingui,
Æribus & raucis Saturni abſtraxit ab ore,
Eſt labyrinthus ubi variarum ambage viarum,
Artificis ſtructus manibus, qui Gnoſſia Regna
Vitans, Euboicas alis ſe duxit ad oras:
Sedibus his cæcis, Theſeu memorande, jaceres,
Regia ni Virgo ducentia fila dediſſet.
Hęſit & obtutu reſonantis in æquoris undis,
Icarus illapſus temere cui nomina fecit:
Ad Paphon,Idaliumq; Amathunta, Gnidumq; Cythera
Lumina direxit, fumant ubi Cypridos aræ.

Pro-

Protinus hinc oculis doctas speculatur Athenas,
Quas Plato Divinus, multi & coluère diserti;
Mellifluum & collem, quem dicunt nomine Hymettú;
Thermopylas clausas, Marathonem, ubi Græcia victrix
Erexit Persis præclara trophæa fugatis;
Thebanam, Cithara Amphion quam condidit, urbem,
Bacchus & ornavit, vates & Pindarus ortu;
Parnassum montem, umbrosas Heliconis & oras,
Pieridum gratas sedes, loca sacra sororum,
Et virides lauros, Permessi & fluminis undas,
Et Delphos, unde emanant oracula Phœbi,
Et Spartam, Eurotam fluvium, bimaremq; Corinthum,
Indomitos Argos, Agamemnoniasque Mycænas:
Isthmon, Parthenium, Cyllenem, altumq; Lyceum,
Et Pisam, Eleos Campos, ubi Olympia læti
Jam soliti celebrare olim certamina Prisci:
Atque Ithacæ parvæ scopulos, ubi natus Vlysses,

Qui Troja rediens diversa per æquora vectus
Vi superum fuerat, ventorum ac turbine pulsus.
Pelion, atque Ossam, supremi & culmen Olympi,
Queis super impositis, Cœlo detrudere ab alto
Regnatorem ipsum validi voluère Gigantes:
Peneum flumen, patriamque immitis Achillis
Larissam, & Pellam primas ubi viderat auras
Magnus Alexander vitæ, populosque feroces,
Spicula Mavortis qui bellipotentis adorant;
Et Rodopem atq; Hæmum, modulans ubi Thracius ore
Dulcisono vates, plantasque, ferasque trahebat:
Bosphoron. & refluum, Byzantia littora, Ponti
Euxini fluctus, Tanaisque fluenta nivalis,
Qui se Sarmaticis evolvens finibus, intrat
Atrocis Scythiæ sinuosis flexibus arva.
Cernere Cymmerios nec desinit, atque Gelonos,
Qui lac permistum potant cum sanguine equino:

Can-

Caucaſeumque jugum, cujus ſub rupe pependit
Adſtrictus duris vinclis, nodiſque Prometheus:
Arctoos montes, ſeptem gelidoſque Triones,
Semper ubi glacialis hyenis exaſperat æthram:
Danubium Scythicum, multas qui perfluit urbes;
Et centum populos, Budam, claramque Viennam
Auſtriaci Imperij ſedem, forteſque Polonos:
Concretum glacie pigrum nec præterit æquor;
Germanaſque acies, duros Aquilone Suevos;
Et quoſcumque fovet generoſa Bavaria bello.
Luminibus tum Divinis ſe ſe obtulit amnis
Eridanus, cecidit currus quò auriga paterni,
Arnus & Hetruſcus, flava Tyberinus arena,
In mare quique fluvit ſeptena per ora Timavus;
Aufidus horriſonans late, placiduſque Galeſus,
Leniter atque fluens Sebethi rivulus undis,
Cujus apud ripam Siren concentibus auras

Par-

Parthenope mulcet, viridanti & vertice colles
Paufilypi, Mergillinæ, ignivomufque Vefevus:
Et fimul apparet Siculis regionibus Ætna,
Eructans fcopulos, flammis & fidera lambens.
Orcadas, Oceanumque videt, validofq; Britannos,
Rhenũ, Ararim, Rhodanũ, Ligerim, Mofamq; Garumnã,
Atque Pyrenæos fublimi culmine montes,
Aurifluumque Tagum, Bætim cum Bilbilis undis.
Denique regalem jam contemplatus Iberum,
Qua lentis gradibus Templo CATHARINA redibat
Obftupuit faciem afpiciens, vultufque nitorem
Cœlicolum rector, fecumque eft talia fatus.
Quis novus hic fplendor? quæ lux incognita nobis,
Lumina noftra ferit? virtus quæ tanta refulget?
Anne putem è lucis caftam redijffe Dianam,
Et graviter laffam latis incedere campis?
At rutilos humeros arcus, dextramque fagittæ

Non

Non armant. Pallas ſupera num ſede relicta
Degit in Heſperia, pratiſque moratur amœnis?
Non gerit hæc haſtam dextra, clypeumque ſiniſtra?
Credo equidem, nec vana fides, genus eſſe potentis
Herois, tanta virtute niteſcit, & ore.
Hæc Heroina eſt, dixit quam candida Virtus;
Hæc eſt illa, fide fraudes, quæ ſola fugavit,
Extinxit turpes quæ caſta libidinis ignes;
Vicit avaritiæ quæ largo munere monſtrum,
Moribus & placidis violentas contudit iras,
Juſtitiaque dolos hominum proſtravit iniquos.
Hæc virtute potens, ſcelerum genus omne removit,
Atque voluptates Sirenum invicta fugavit:
Hæc victrix acies furiarum depulit omnes:
Huic ergo clarus debetur jure triumphus.
Degere Matronam tanta pietate nitentem
Non decet in terra, in ſede at ſublimis Olympi.

Dixe-

Dixerat: Atlantis volucrem vocat inde nepotem,
Hæc cui pauca refert: Graditur pulcherrima forma,
Atque omni pietate nitens generosa Virago
Ad ripas fluvij, dicunt quem nomine Iberum,
Eja Cœlicolum gaudens ascendat in ædes,
Maxima quas illi victrici facta pararunt;
Candentes Horę celerent, ornentque quadrigas,
Ducatur queis in Cœlum Heroina triumphans,
Atque unà comitetur eam Latonia Virgo,
Tritonis Pallas, Phœbus, doctæque Camenæ.
Tum Jovis Imperio paret Cyllenia Proles,
Et nitidis Horis aperit mandata Tonantis,
Quæ subito summi Regnantis jussa facessunt:
Distinctum geminis currum, rutilisque Pyropis
Accipiunt, ducunt & equos, qui cursibus Euros,
Et candore nives superant: jam lucida frœna
Mordent, egressi Cœli è præsepibus altis.

Tem-

Tempora tum viridi lauro Victoria cincta;
Vestibus & niveis circumdata, flectit habenas:
Jamque volans alto descendit ab Æthere currus,
Æthereis devectus equis, quem ponè sequuntur
Numina, qnæ jussit celsi Regnator Olympi,
Constitit atque statim ante oculos gradientis Iberæ
Matronæ Superum cœtus, cœlestis & axis.
Obstupuit currum cernens CATHARINA nitentem,
Et Divos, Divasque omnes, ac talia fatur.
Quæ nova nunc nostram pertentant gaudia mentem?
Quis mea tam subitus perstringit lumina fulgor?
Quam sic alloquitur placide Caducifer Hermes.
Cara Deo mulier, Cœlo gratissima Diva,
Te jubet omnipotens Cœlestia scandere Regna;
Accipere ut possis meritum pietatis honorem.
Illa sub hæc: Vigilo, an ludunt me insomnia vana?
Sideream ad sedem supremi conditor Orbis

Me vocet? Haud equidem tali me dignor honore.
Hæc referens animo nunc hùc, nunc fluctuat illùc.
Tum Ales: vera vides: te nulla insomnia fallunt:
Juppiter hoc mandat, rerum cui summa potestas;
Sit mora nulla: triumphales conscende quadrigas,
Quas tibi jam pietas, candorque, fidesq; paravit.
Addidit & Pallas: roseas conscende quadrigas:
Ne dubita, CATHARINA: tuis hæc debita factis
Prœmia sunt: summi pete lucida tecta Tonantis.
Perfice jussa Patris summi pharetrata Diana
Exclamat, terras linquamus, & astra petamus.
Astra petamus cum Musis respondit Apollo.
Numina sic urgent. Ad sidera Ibera Virago
Attollens palmas, inquit, tibi solvere grates,
Omnipotens, nequeo: ecce libens tua jussa facesso.
Dilectæ comites, me discedente, valete;
Flumen dulce fluens, & littora nota valete;

Alma

Almà vale tellus, ubi me genuère parentes:
CAROLE care vale, AUSTRIACIS è Regibus orte,
Vita, ſalus orbis, noſtri nova gloria ſecli.
Ad ſuperos tendo, tua ſed cariſſima noſtro
Non unquam labi poterit de pectore imago.
Ad ſuperos tendo, & Cœli comitabor in oris,
Quæ te produxit, MARIANNAM, Numine Divum;
Quæ me dilexit ſummo, dum vixit, amore.
Sidera clara peto, pro te ſemperque precabor,
Proque ſalute tua. Tu vero, ò maxime Regum,
Perge meum gnatum LODOVICUM proſequi amore,
Qui tibi Parthenopem juſtis moderatur habenis.
Nate vale, LODOVICE vale, ſervire Monarchæ
AUSTRIACO, fuerit tua maxima gloria terris,
Pro CAROLO Regnum tranquilla fronte guberna;
Nec, me abeunte, velis largos effundere fletus,
Et triſtes gemitus, altiſque doloribus uri:

Non etenim pereo, è terris ad ſidera migro.
Dixerat, & currum conſcendit corde ſereno.



LIBER



LIBER TERTIUS.

FUlminis interea currus volat ocyor alis.
At dulces comites ſola in tellure relictæ,
Ut diſcedentem dominam vidère per æthram,
Abſciſſæ crines, & tunſæ pectora palmis,
Queſtibus implebant, magniſque ululatibus auras,
Atque inter crebras lacrymas, gemituſque dolentes,
Clamabant omnes, quò tendis noſtra voluptas?
Quò ſubito properas? Cui nos, CATHARINA, relinquis?
Vicinum flumen, cui nos, CATHARINA, relinquis,
Murmure luctiſono ripa reſonabat ab alta?
Mœrebant volucres CATHARINAM voce vocantes,
Plorabantque cavæ valles, colleſque gemebant:

In pratis flores, in ſylvis ingemit arbor;
Terra dolet, gaudet tantum ſine nubibus aer
Lucidior ſolito, Zephyri ſpirantibus auris,
Dum ſtellante rota liquidum ſecat æthera currus:
Ac veluti æquoreos fluctus cum ſcinderet Argo,
Iſmarius vates feriebat pectine chordas:
Sic Heroinæ volitante per aera curru,
Tangebat citharam plectro crinitus Apollo,
Muſarumque chorus docto effundebat ab ore
Tales concentus. O terque, quaterque beati,
Qui bene viventes Cœleſtia Regna pararunt,
Pugnanteſque ſibi clarum peperère triumphum.
Non fuit his unquam ſenſus jam grata voluptas,
Deliciæque breves nullæ placuère: Tyrannum
Vicerunt Erebi diro certamine facto,
Et bona terrarum pariter ſprevère caduca;
Hinc merito ſemper tranquilla pace fruentur,

Læ-

Lætitia & summa perfundent pectora semper.
Væ miseris contra, sceleratam ducere vitam
Qui voluère: fuit non inclyta gloria gestis
Parta suis, nunquam ad superos sua corda tulère;
Illecebris fracti sensus mala gaudia mentis
Amplexi, vani cessère Cupidinis armis.
O infelices! visent cæca ostia Ditis,
Umbrarumque domos, ac luce carentia Regna,
In quibus assidue ardenti patientur in igne;
Frigoris asperitate trement, glacieque rigebunt:
Horrendis monstris, Scyllis, Pythonibus, Hydris;
Harpyjis laniabuntur, sævisque Chimæris.
Discite mortales molles contemnere sensus
Delicias, justasque Jovis non spernere leges,
Tendere ut astriferum Regnum possitis ovantes.
Cantibus his hilares ducebant astra choreas.
Has dulces voces, hunc & Cynosura triumphum,

Hunc Helice plausum miratur ab axe Boreo;
Hæc servata viris Grajis, Phœnicibus illa,
Qui mare trajiciunt, pandunt & carbasa ventis;
Mirantur pariter, jucundo ac pectore gaudent,
Hesperidumque Draco, qui cæsus ab Hercule clava
Occidit, atque fuit stellarum in sede locatus:
Et pulchra Andromede monstris objecta marinis,
Quam fortis Perseus crudeli morte redemit:
Gestit & Arctophylax custos Erymanthidos ursæ;
Gnossiacæ exultat stellata corona puellæ,
Quam Theseus quondam deserto in littore liquit,
Progeniesque Jovis mitis dilexit Jacchus:
Insolito fulgent Berenices lumine crines;
Splendentem currum læto clamore salutat
Amphitryoniades cinctus renitentibus astris,
Qui puer in cunis rabidos eliserat angues,
Cerbereumque canem traxit, domuitque Leonem,

Ge-

Geryonem, Diomedis equos, aprumque Erymanthi,
Eripuit monstris totum qui viribus orbem.
Ingeminat lyra concentus, chordisque resultat,
Quæ cantu belvas, sylvasque, & saxa trahebat,
Sedavitque feros manes, & Tartara flexit;
Ex Erebo Euridicem traheret cum Thracius Orpheus.
Ledeus Cygnus recinens diverberat alas.
Lætatur Delphin, qui vexit Ariona dorso
Per freta vasta chelym pulsantem pectine eburno:
Lætitiæ dat signa alata propago Medusæ
Pegasus, ætherias quatiens qui calcibus auras
Persea per varias partes transvexerat orbis,
Atque volans tandem Parnassi in vertice sacro
Percussit saxum, & manavit Castalis unda:
Dant plausum Taurus Cretæis qui appulit oris
Europam; gemini œbalio de sanguine nati:
Herculeusque Leo, Virgo quæ fulget aristis,

Libraque, Scorpius, Arcitenens, & Signifer Orbis
Apparet totus festiva luce coruscans:
Splendidior solito visa est via lactea in alto,
Unde triumphales currebant axe quadrigæ:
Se placidum ostendit nautis infestus Orion,
Armaque deposuit: manavit flumine lactis
Æthereus Nilus; radiantia vellera puppis
Argo substravit, Colchos qua vectus Jason:
Araque Cœlestis jucundo fumat odore.
Jamque triumphalis currus feliciter altas
Pervenit ad Cœli portas, quæ sponte patescunt,
Cœtus ubi Divum venientem expectat Iberam
Plausibus Heroinam, iterumque, iterumque salutat.
Excipiunt pariter, summo ac venerantur honore
Omnes Cœlicolæ, ducuntque Tonantis ad ora,
Qui læto vultu solio sic infit ab alto.
Venisti tandem nobis, carissima Diva,

Accipe nunc victrix tantorum justa laborum
Prœmia, quos terræ, dum vita manebat, in orbe
Passa es: Chrysolithis distinctam, auroque coronam
Accipe: stelliferi Cœli cole regna piorum,
Nullus ubi morbus, nec mœror, & anxia cura,
Nec timor exagitat gelida formidine mentes;
Sed secura quies, ac semper læta juventus,
Justitia & pietas, & pax tranquilla nitescit.
Hìc nunquam glacialis hyems, sed tempora Veris
Perpetui rident, florentia prata virescunt.
Hìc nunquam nox horrenti circumdatur umbra:
Æternùm micat alma dies: Sol usque serenos
Effundit radios, & lumine vestit Olympum:
Sidereique chori concentibus æthera mulcent.
O si mortales omnes sic vivere vellent,
Turpes exosi culpas, fraudesque, dolosque,
Cingere vt æterno possent sua tempora serto,

Hostibus & victis super astra referre triumphum:
Dixerat, intonuitque Polus modulamine vocum,
Cunctaque plausère his Cœlestia Numina dictis.
Undique dulce melos, Citharæq; Lyræq; sonabant:
Undique ducebant Divi, Divæque choreas:
Funduntur flores lecti è Cœlestibus hortis,
Lilia mixta rosis, immortalesque Amaranthi:
Sternuntur lætæ palmæ, laurique perennes:
Ridet ubique domus suavi cœlestis odore;
Nectaris æterni decurrit flumen ubique,
Dulcis & ambrosiæ convivia ubique parantur.
Tum vero nitida CATHARINAM in sede locarunt,
Vestibus indutam niveis, cinctamque corona.
Atque ubi conscendit, convertens lumina circum;
Reginam vidit MARIANNAM in sede nitenti,
Ornatam chlamyde immortali murice tincta,
Cujus præcingit crines diadema coruscum.

Dex-

Dextra gerit ſceptrum, geſtamen nobile Regum,
Auguſta & gravitas, ſplendor, decus enitet ore:
Protinus aſſurgens ſummo veneratur honore,
Reginamque ſuam læto clamore ſalutat,
Quam ſic alloquitur vultu MARIANNA ſereno:
Gaudeo ſorte tua, fauſtis & gaudeo fatis.
O te felicem, Cœli cui contigit oras
Scandere, telluris deſertis vallibus imis.
Veræ hìc deliciæ, æterna hìc ſunt gaudia vera.
Hìc nos felices erimus, ſemperque beatæ.
AUSTRIACI hìc reſident REGES in ſedibus altis.
Aſpice, ut Hiſpani vivant ſuper aſtra PHILIPPI.
Quem iuxtà cernis nimia ſplendeſcere luce,
CAROLUS eſt QUINTUS pietate inſignis, & armis,
Marte feras vicit gentes, domuitque ſuperbos,
Stravit & adverſas acies interritus hoſtes
Aggrediens, palmas tenuit, ſtatuitque trophęa:

Irruit

Irruit in Turcas, qualis de montibus altis
Præcipitat torrens quercus, & ſaxa revolvens,
Aut velut in turres erumpit ab æthere fulmen.
Inclyta Chartago, populos quæ vicerat olim
Romanos, hujus dextra ſuperata potenti eſt.
Pannonia aſpexit ſolo cognomine QVINTI
Regnatorem Aſiæ victum, ſubitoque fugatum:
Dejecit Cimbros, Gallos, duroſque Sicambros
Invictus bello ſemper terraque, marique:
Imperij poſita ſpatioſi denique cura,
Sideream hanc ſedem, & Cœleſtia Regna paravit.
AVSTRIACOS alios proſpecta hìc ordine longo,
Solis utramque domum implerunt qui fortibus auſis,
Moribus, atque pijs petière hæc atria factis.
Hìc LACERDIADAS ſublimi in ſede micantes
Aſpice, Fama canit quorum clariſſima geſta.
En tibi SANDOVALIADAS, qui hæc Regna beata

Sunt

Sunt meriti, Spe, Justitia, Pietate, Fideque.
Quas vero vacuas sedes hac cernis in aula,
Fulgent pro CAROLO genui quem cara Secundo
Mater, quique meis oculis est carior ipsis;
Hic licet ægrotus nuper, tellure gemente,
Migraturus erat jam jam sublimis ad astra,
In terris vitam multos producet in annos,
Et multos gignet natos, per secula multa
Victuros, gestis claros, virtutibus, omnes
Quos hìc expecto longi post temporis ævum
Sedibus æthereis, sertis, sceptrisque decoros.
Hæc etiam tuus adveniet LODOVICUS ad astra,
Inclyta progenies, Atavis è Regibus ortus,
Tam bene Parthenopes CAROLI qui regna gubernat;
Hic quoque progignet natos, natique, parensque
Has fortunatas recolent, sedesque beatas.
Augusta hæc læto MARIANNA est ore loquuta,

At

At dulci alloquio Reginæ è pectore grates
Persolvit CATHARINA suæ, veneratur & unà
AUSTRIACOS magnos REGES, summosq;Monarchas,
Regalique suos Atavos è stirpe creatos;
Et tandem ingenti plausu celebrata resedit.

FINIS.



EMINENTISSIMO SIGNORE.

GIoseppe Thoma Lettore di Rettorica ne i Regij Studij di questa Città, supplicando espone à V. Em., come desidera dare alle Stampe un Libro, nel quale si contiene un' Oratione, & un Poema intorno alla ricovrata salute di CARLO SECONDO Rè delle Spagne (che Dio guardi) & un' altro Poema intorno alla morte dell' Eccellentissima Signora Donna Catarina d' Aragona Sandovale. Per tanto supplica l'Em. V. degnarsi commetterne la revisione à chi li pare, acciò possa poi ordinarsi che si stampi, ut Deus, &c.

Reu. Dominus D. Philippus de Anastasio videat, & in scriptis referat die 9. Maij 1697.

JO: ANDREAS SILIQUINUS VIC. GEN.

D. Januarius de Auria Can. Deput.

EMINENTISSIME DOMINE.

SUmma animi voluptate percurri, quæ D. Josephus Thoma tùm soluta Oratione, tùm Carminibus vincta scripsit pro reparata CAROLI SECUNDI salute, & in funere Excellentissimæ D.Ca-

tharinæ Aragoniæ, Sandoval, &c.; ſunt enim ſententiarum gravitate, & figurarum venuſtate referta: nec quicquam occurrit, quod religionem, pias aures, aut incorruptos mores offendat. Quas verò fabulas commentus eſt, præterquamquod præclariſſimam continent allegoriam, poetice ſe conſcripſiſſe teſtatur: ea propter typis edi poſſe exiſtimaverim, ſi eadem Em. V. mens fuerit. Hæc ut tua juſſa facerem, ſcripſi. Vale. Idibus Maij M.DC.XCVII.

Em. V.

Humillimus, & addictiſſimus Servus
D. Philippus Anaſtaſius.

Attenta ſupraſcripta relatione Domini Reviſoris quod poteſt imprimi
Imprimatur die 19. Junij 1697.

JO: ANDREAS SILIQUINUS VIC. GEN.

D. Januarius de Auria Can. Deput.

EC-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

GIoseppe Thoma Lettore di Rettorica ne i Regij Studij di questa Città, supplicando esporle à V.E., come desidera dare alle Stampe un Libro, quale si contiene una Oratione, & un Poema intorno alla ricovrata salute di CARLO SECONDO Rè delle Spagne (che Dio guardi) & un'altro Poema intorno alla morte dell'Eccellentissima Signora Donna Catarina d'Aragona Sandovale. Per tanto supplica l'E. V. degnarsi commetrerne la revisione à chi li pare, acciò possa poi ordinarsi che si stampi, ut Deus.

Rever. D. Gregorius Messerius videat, & in scriptis referat.

SORIA REG. ANDREAS REG.
GASCON REG. ANDREASSI REG.

Provisum per S. E. Neap. 9. Maij 1697.

Spectab. Reg. Carrillo non interfuit.

Mastellonus.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

PErlegi, acceptis mandatis tuis, tum Orationem, & Poema Josephi Thoma pro reparata CARO-

LI

LI IJ. Hiſpaniarum Regis ſalute, tum etiam Poema in funere Excellentiſſimæ Dominæ D. Catharinæ Aragoniæ, Sandoval, &c.; & nihil inveni quod offenderet Regiam Juriſdictionem: immo admiratus ſum Authoris eximiam eloquentiam, & præſtans ingenium. Quare in lucem edi poterunt, ſi ità Excellentiæ Tuæ videbitur. Vale. Neap. 19. Junij 1697.

Excell. Tuæ

Humillimus Servus
Gregorius Meſſerius.

Viſa ſupradicta relatione imprimatur, & in puplicatione ſervetur Regia Pragmatica.

SORIA REG. ANDREASSI REG.

Proviſum per S. E. Neap. 20. *Junij* 1697.

Cœteri Spect. Reg. non interfuerunt.

Maſtellonus.

